

vindicantur, tametsi illi statum et dominiorum ipsorum unice etiam essent heredes? præterquam quod quando excessus aliqui execrabiles et enormes dimittuntur, nunquam tamen illorum absolutio aut venia conceditur, quando crimina illa et specie et numero multa esse deprehendantur; non vero ita fit in Ecclesie tribunal: *Dicit illi Jesus*, id est, infallibile illud cœli oraculum, æterna et prima Veritas, Pater misericordiarum præcipit, decernit et imperat: *Non dico tibi usque septies, sed, etc.*, id est, universam transgressionem. S. Thomas ait: « Non septies, sed septuaginta vicibus; vel potest teneri multiplicative, ita quod septem vicibus septuaginta; vel potest dici, quod pontur numerus finitus pro infinito. Universitas peccatorum significatur, quasi dicat: Omnia quæcumque peccaverit, dimitte ei; » adducitque auctoritatem quamdam S. Hieronymi dicens: « Videtur quod velit dicere, quod plus remittere potest, quam alter possit offendere. » S. Justinus martyr ait: « Hanc constituit in mundo probum peccatorum medicum, videlicet pœnitentiam, quæ potest iis etiam mederi, qui septuagies septies delinquerint. » Albertus Magnus infinitam in hisce verbis admiratur Dei nostri pietatem et misericordiam, qui Petro et omnibus aliis ministris suis præcipit, ut omnes iniquitates condonet: « Sensus est, quod in omni transgressionem et omni inobedientia, et omni plenitudine et vitiorum, et omni tempore delinquenti omnia sit paratus dimittere, et sic nullus terminus ponitur misericordie infinitæ; » adducitque locum illum *Ezech.*, xviii, 22: *Quocumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum suarum non recordabor*. Expressius vero, et significantius, præ aliis hac de re ita scribit Chrysostomus, *Hom. lxxi in Matth.*: « Qua quidem oratione nullum numerum posuit, sed indefinite, continue ac semper significavit. »

2. — S. Hilarius, *com. xviii in Matth.*, argumentum quoddam format pro particularium offensarum remissione, quo vindicativos fortiter stringit: « Qua utique venia assiduitas docet, nullum omnium omnino penes nos iræ tempus esse oportere, et cum omnium omnino peccaminum veniam Deus nobis suo potius munere, quam nostro merito

« largiatur; neque enim fas est, nos ex præscriptio legis dandæ veniæ numero concludi, cum per Evangelii gratiam sine modo nobis a Domino fuerit indulta. » S. Augustinus quoque, *Serm. xvi de ver. Dom.*, similiter discurret: « Si Christus millia peccatorum invenit et tamen omnia donavit, noli subducere misericordiam; ait enim Apostolus, *Coloss.*, ii, 13: *Donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam sicut Deus in Christo donavit vobis.* » Porro S. Petrus numeri septenarii meminit, quia ad illa Sapientis verba, *Prov.*, xxi, 16, respexit: *Septies enim cadit justus et resurget*; at vero is eo tempore locum illum non satis penetrabat, neque enim sensus illius est, quod septies in vita cadit justus et resurget, sed septies quolibet die justus Deum offendat, licet, dummodo is respiscat, Deus nobis remittit offensam et condonat, ac proinde Dei Filius audiens se interrogari, an septies tantum in vita proximo nostro remittendum esset, respondit: *Non dico tibi usque septies, etc.* Unde Dionysius Carthusianus ait: « Id est, toties quoties te offendit, nam toties oportet proximo in nos peccanti remittere, quoties volumus nobis peccantibus a Deo ignosci, a quo utique volumus nobis indesinenter ignosci, quotiescumque peccamus, aliter non possumus dicere: *Dimitte nobis debita nostra, sicut nos dimittimus debitoribus nostris.* »

3. — Possumus quoque hoc loco considerare differentiam, quæ est inter Deum et hominem in ordine ad remittendum injurias, et illam quæ inter unum hominem et alterum, qui sibi invicem nolunt dimittere. In *Ose.*, ii, 9, de Deo nostro scribitur: *Non faciam favorem iræ meæ ut disperdam Ephraim*; et rationem hujus protinus subdit, dum ait: *Deus ego et non homo*. Quis enim est inter homines, qui cum ab aliquo decies, centies et milies in uno die ab alio offensus et injuria affectus sit, eidem semper perfecte condonet, et eum in gratiam suam dono recipiat, prout Deus nobiscum facit, dum se semper erga nos magis magisque benevolam et in concedendis gratis suis copiosiore ostendit: *Ubi abundavit delictum superabundavit gratia*. *Rom.*, v, 20.

FERIA QUARTA POST TERTIAM DOMINICAM QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. XV, VERS. 1

1. Accesserunt ad eum ab Hierosolymis Scribæ et Pharisei, dicentes:
2. Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lavant manus suas cum panem manducant.
3. Ipse autem respondens ait illis: Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?
4. Nam Deus dixit: Honora patrem et matrem, et qui maledixerit patri vel matri, morte morietur.
5. Vos autem dicitis, quicumque dixerit patri vel matri, munus quodcumque est ex me, tibi proderit.
6. Et non honorificabit patrem suum, et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.
7. Hypocrite, bene prophetavit de vobis Isaias dicens:
8. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.
9. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum.
10. Et convocatis ad se turbis dixit eis: Audite, et intelligite.
11. Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.
12. Tunc accedentes discipuli ejus dixerunt ei: Scis, quia Pharisei audito verbo hoc scandalizati sunt?
13. At ille respondens ait: Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur.
14. Sinite illos, cæci sunt, et duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.
15. Respondens autem Petrus dixit ei: Edissere nobis parabolam istam.
16. At ille dixit: Adhuc et vos sine intellectu estis.
17. Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit et in secessum emittitur?
18. Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, et ea coinquinant hominem.
19. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furtiva, falsa testimonia, blasphemie.
20. Hæc sunt quæ coinquinant hominem, non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.

peccatum adventus ipsorum finem detexit, dum ait: « Non ad discendum, sed ad reprehendendum Dominum venerant. »

Ab Hierosolymis.

2. — Tametsi Scribæ et Pharisei per omnes Judææ civitates dispersi essent, illi tamen, qui Hierosolymis morabantur, arbitri erant religionis et ad illos omnes ex omni parte concurrebant, ut circa cultum divinum, ritus sacros, doctrinam et legem Mosaicam submata dubia deciderent et determinarent. Unde Lucas Brugensis ait: « Hi doctrinæ et religionis totius obtinebant arcem et inquisitio-

VERSUS 1.

Accesserunt ad eum ab Hierosolymis Scribæ et Pharisei, dicentes.

Accesserunt ad eum.

1. — Salvator noster in Galilæa morabatur et ideo Scribæ et Pharisei ex Judææ metropoli Hierosolyma abierunt ad illum: « Non ut discant, » inquit Jansenius, *cap. ix concord.*, « sed ut calumnientur eum, quem jam audierant tanto vulgi favore accipi et predicari. » S. Remigius quoque

« nem proinde, censuramque doctrinarum sibi arrogabant. »

3. — Est quoque mystica hæc termini a quo adventus ipsorum circumstantia, ut Jansenius his verbis notat : « Ut sic duplici nomine eorum exag- geraret impietatem, nimirum quod Jerosolymi- tani essent, et ob id justiores et doctiores habiti, eo quod Jerusalem fons pietatis et doctrinæ habe- retur et quod ab Jerusalem descendissent, tantum vie non dubitantes aggredi calumniandi causa ; » siquidem ut Abulensis computando ostendit, in hoc itinere triginta sex leucas confecerunt. Euthymius quoque advertit, hos, qui ad Christum accesserunt, Scribas et Phariseos omnium aliorum iniquissimos fuisse ; « Cæteris iniquiores erant, qui ab Hieroso- lymis erant. »

Scribæ et Pharisei.

4. — S. Remigius illos ex duplici capite repre- hensibiles fuisse observat : « Et quia ab Jerosolymis venerat, id est, a loco sancto descenderant et quia seniores populi et legis Doctores erant. » Lyranus in illis munditiam externam, neglecta interiori, zelantibus, hypocrisis delineari ostendit : « Hypocritæ falsi arguentes frequenter alios de medicis, cum tamen sint infecti gravibus pecca- tis. »

5. — Sciendum vero est, quod S. Mattheus in principio hujus capituli, particulam *Tunc* apponat, quod valde considerabile est; hujus enim occasione Chrysostomus, *Hom. in Math.*, querit, quando hoc factum est? Et respondet : « *Tunc* scilicet, cum innumera signa operatus est, quando tactu solummodo fimbrie multos curavit egrotos ; propterea enim Evangelista notavit tempus, ut magnam eorum malitiam ostenderet. » Etenim miraculis et beneficiis illi populo exhibitis in aug- mentum invidiæ, malignitatis et odii sui adversus Salvatorem concepti abusi fuerunt, ut non solum ipsum, sed et omnes scholæ ejus discipulos calum- niarentur : « *Tunc* in eodem tempore livore tacti, » inquit Albertus Magnus, *in Luc.*, « ex fama miracu- lorum et quod regem vellent eum constituere, » prout in miraculo in deserto in panem et piscium multiplicatione facto factum est, frivolis accusatio- nibus suis apud populum traducere et denigrare intendebant : « Et ideo, » ut inquit Hugo Cardinalis, « ostendit Evangelista tempus, ut eorum malitiam ostendat inexcusabilem. »

VERSUS 2.

Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lavant manus suas, cum panem manducant.

Quare discipuli tui, etc.

1. — Certum quidem est odium Scribarum et

Phariseorum primario et principaliter directum fuisse in Christum et tamen etiam per calumnias et detractiones Apostolos ejus denigrare nitentur, ut omnem verbis ipsorum fidem adimerent, quia ut Clemens Alexandrinus ait : « Discipuli a magis- tris disciplinam mereantur ; » et ut Nazianzenus : « Ex discipulis magistrum ornabo. » Et ideo S. Paschasius intentionem et finem malignum, in quem hi Scribæ collimabant, hisce verbis nobis manifestat : « Quoniam quicquid in discipulis repre- henditur, in calumniam Magistri insidiose ab ipsis, qui Hierosolymam advenserunt, Scribis et Phariseis rejectum. »

2. — Merito etiam affirmare possumus, Phari- sæos ad id obtinendum laborasse, ut aliqua discipulos inter et Magistrum seminare possent controversiarum et diffidentie zizania, ut paulatim ipsos ab ejus consortio separare possent; alias namque de ipso dixerant ad discipulos : « Cum publicanis et peccatoribus manducat Magister vester ; » nunc adversus discipulos, tanquam multarum observan- tiarum transgressores apud Salvatorem obmurmur- rant, eosque calumniis aspergere contendunt. « Odio acti, » inquit Lucas Brugensis, « ni nisi rem cri- minantur, ut tam præceptorem quam discipulos populo reddant exosos, arbitrari facti rationem dari non posse. » Tentantur quoque an aliquod maledicentiæ verbum adversus seniores, eorumque auctoritatem ex ejus ore extorquere possent : « Quo majorem ipsi seniorum invidiam constarent. » Eandem quoque considerationem Lyranus his ver- bis exponit : « Quia Christum in discipulis suis arguebant tanquam contemptorem doctrinæ se- niorum, ut sic redderet eum populo odiosum. »

3. — Enimvero nihil novum est, quod in Apo- stolis adimpleatur id, quod postea monuit Aposto- lus, *II Tim.*, 11, 12, dicens : *Omnes qui pie volent vivere in Christo Jesu persecutionem patientur, adeo enim malignorum impietas lyncea est, ut licet præcunctium vestigia videant, ipsi tamen in his pedem suum figere non possint; ecce enim quam immaculata vita fuerit eorum, qui Salvatoris sequa- ces erant, siquidem nihil aliud in ipsis culpare aut reprehendere poterant, quam quod ante cibi sump- tionem manus suas non abluerent.*

4. — S. Marcus, *vi*, 2, quidem eandem historiam refert; ita scribit : *Cum vidissent quosdam ex discipulis ejus commanibus manibus, id est, non lotis, manducare panes, vituperaverunt.* Multa utique bona et sancta in Apostolis relucebant, utpote qui omni- bus seculis velut lucidissimum christianarum virtu- tum et veræ sanctitatis speculum futuri erant, et tamen vide quousque malignitas, maledicentia et detractio perlingat. Ab eodem flore apis mel, aranea vero venenum exsugit, ita quoque Pharisei velut venosissima aranæ ex sanctissimis Apostolorum actionibus odii, maledicentiæ et detractionis toxica

diciebant. Apostoli per predicationem Evangelicam, per vite sanctitatem et frequenter patrata miracu- lum multum inlarescere incipiebant et ideo cum antea viles fuissent piscatores, in Scribis et Phari- sæis, qui religionis arbitri erant, invidiæ livorem excitantur.

5. — S. Antonius de Padua, *Serm. in hac fer.*, ait : « Sie patet magis nequitia istorum, qui non potentes calumniari Magistrum in se, in discipulos tam dementer insurgentibus. O quot sunt hodie tales Scribæ, qui nullum aliud habent officium, nisi quod notent et scribant facta aliorum. » Ad- versus hos Salvator noster, cæteroque mitis, in præsentî Evangelio stomachatur, eorumque hypo- crisin, invidiam, ignorantiam, malitiam et avaritiæ cupiditatem delegit et inerepat, ut per hoc nobis insinuet quam vitiosi, detestabiles et abominabiles bonæ famæ aliorum detractores et calumniatores existant.

6. — Notari quoque hoc loco potest, quod oculi curiosorum et zelantium ut plurimum in eos vel maxime designantur, qui sunt in sublimi dignitatis culmine constituti, ut actiones ipsorum censuris suis pessimis convellant, imo quod principum opera perpetuis subditorum censura subjaceant, omnem- que etiam minimum culpæ nevum in iis observent, et ideo non mirum, si Apostoli quoque eandem a Phariseis cogantur experi censuram, siquidem de illis dicitur, *Psal. xlii*, 17 : *Constituit eos Principes super omnem terram.*

7. — S. Hieronymus, *in Math.*, miram horum Scribarum considerat stultitiam, utpote qui Deum hominum more agere arbitrabantur : « Mira Scri- barum Phariseorumque stultitia, Dei Filium arguunt, quare hominum traditiones et præcepta non servant. »

Non enim lavant manus cum panem manducant.

8. — Porro lotiones, quæ populo Hebræorum in lege Mosæica præscriptæ fuerant, ut Lucas Brugensis observat, ad puritatem et munditiam interiorem ordinatæ erant. « Scimus quam severe requisierit lex corporis munditiam, non quod illa Deo per se accepta esset, aut redderet solius corporis immunditia quemquam Dei invisum; sed ut raris populis observationibus hujusmodi, a corpore tandem ad mentis puritatem adduceretur. » Porro Pharisei per proprias traditiones superstitione non solum manus ante prandium, sed ante quodvis ferculum in prandio appositum lavarentur, ordina- verant; unde nonnulli notarunt, quod hydiæ illæ, de quibus in Evangelio de nuptiis in Cana Galilææ habili dicit, *secundum purificationem Judæorum*, ad hunc solum effectum servierint, ut manus ante quodlibet ferculum abluerentur : « Notandum quod non dicant, antequam panem manducant, » inquit Jansenius, « sed, *cum panem manducant*; traditio

« enim seniorum non tantum exigit civilem illam ablationem manuum, quæ passim fit ante pran- dium et cenam, sed crebram etiam inter man- ducandum. » Et S. Antonius de Padua dicit : « Crebro manus lavant, scilicet in omni ferculi renovatione. » S. Marcus *vi*, 3, ait : *Pharisei enim et omnes Judæi, nisi crebro manus laverint, non manducant, tenentes traditiones seniorum.* Glossa autem crebras hæc lotiones hisce verbis deridet : « Intus nihil arguunt, Apostolos scilicet, quia intus livore pleni sunt; in vanum quidem sua baptis- mata servant, qui storum cordium et corporum sordes abluere negligunt. » Etenim quoad apparen- tiam quidem externam se discipulorum ablutio- nem atque munditiam zelare ostendebant; at vero, ut Paschasius optime advertit : « Non diligentiam corporis a discipulis Domini, sed superstitiosam suæ baptismata requirebant; » qui idem paulo post hæc superstitionem apertius detestatur et declarat, dum ait : « Quam plane purificationem manuum, de superstitione venientem magis quam de honestate et usu quotidiano illi calum- niantes requirebant; cum essent impuri et im- mundi. »

9. — S. Thomas, *in Math.*, verum quidem esse, Apostolos in hac lotione non ita accuratos fuisse concedit. « Sed quare? quia ita solliciti erant de verbo Dei, quod etiam tempus non habebant; » unde ex sollicitudine circa spiritualia, non se ab lavant eo modo sicut Judæi. » Et hoc forte ab ipsis paulo ante in deserto in Apostolis observatum fuit, quando panem et pisces inter turbas distri- buentes, manus suas utique ad quamvis, quam distribuabant portionem, non lavarunt. Enimvero ut S. Paschasius attestatur, Apostoli sui ipsius contem- ptui non ita dediti erant, ut exinde in morum civilitate quicquam defuerint; dicit enim præfatus Sanctus : « Nemo cum hæc audis, existimet disci- pulos Domini sub specie contemptus sui, incultis et illotis manibus, ac rusticos consuesse manu- care, præsertim quia mensæ Domini, quasi con- vivæ particeps erant. » De certo namque sancto Dei servo legitur, eum dicere solitum fuisse, quod is, qui incivilis est in moribus, in vita sua quoque defectum patiat spiritus. Superstitiosus et indis- cretus Scribarum zelus ad hoc plane intentus erat, ut punctualiter observarentur vanas ipsorum tradi- tionem, at vero ut Hugo Cardinalis bene notavit, a semetipsis condemnati fuerunt : « Ab ipsa interro- gatione capiuntur; non enim dicunt : legem Moysi transgrediuntur, sed traditiones, quas Moyses fieri prohibuit. »

10. — Lucas Brugensis ingeniosam quamdam hoc loco observationem adducit; dicit enim : « Nisi ipsi indicavissent, suspicio esse poterat, magnam aliquam, magnæque dignitatis traditionem a discipulis violatam fuisse, quos tantum viri in cri-

« men vocarent. » Quodsi forte Christi discipuli obheissent, quod manus haberent sordidas, minimeque mundas, forsitan aliquem apparenter rationabilem prætextum adduxissent; siquidem de dictis discipulis scribitur : « Vos sæculi iusti iudices, » Ecclesiarum Principes; » hos autem mundas et nidas quovis tempore manus habere necesse est. Unde David sancte gloriabatur, *Psal. c., 2, dicens : Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ. Deus quoque apud Isaiam, xxxii, 15, dicit : Qui ambulat in iustitiis et loquitur veritatem, qui projecit avaritiam et exivit manus suas ab omni munere.* Etenim de Pharisæis in veritate illud Sapientis, *Prov., xxx, 12, dici poterat : Generatio quæ sibi munda videtur et tamen non est lota a sordibus suis;* etenim ipsi in aliorum defectibus censurandi Argi, in propriis vero iniquitatibus agnoscendis talpa erant, *Matth., xxii, 24 : Excavantes culicem, glutientes camelum.*

11. — Hugo Cardinalis ait : « Ulicisebantur sua, » que Dei erant non curantes; » quod enim lex et præcepta Dei negligenter, parvi faciebant; at vero in ritum et supersitionum ab ipsis introductarum observantia rigidi erant : « Similes his sunt, qui magis offendunt et arguunt, si transgrediat homo consultationes mundanas, quam si mandata Dei. »

12. — S. Hieronymus, in *Matth.*, hæc verba de manuum lotionem in sensu morali exponit, dum ait : « Manus, id est, opera, non corporis utique, sed anime lavande sunt, ut fiat in illis verbum Dei. » Paulus de Palatio magnam quoad hanc lotionem inter Christum et Pharisæos differentiam ponderat dicens : « Judeus lavat manus exterius, ea scilicet que parent, Christus lavat interius in abscondito et quod maximum est, Judæi lavant manus, at Christus lavat pedes discipulorum; frustra enim lavetis opera, que per manus designantur, nisi lavetis pedes, qui affectus significant. Ergo Judæorum est opera Christi lavare affectiones, quibus lotis, reliqua fere munda sunt, quibus e contra illotis reliqua sunt immunda. »

VERSUS 3.

Ipsæ autem respondens ait illis : Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?

1. — S. Paschasius, *lib. VII in Matth.*, hæc Christi responsum ad animæ potius quam corporum ablutioem Pharisæorum mentibus imprimendam directam fuisse dicit : « Ostendit quod magis semper sit animarum lavatio, quam corporum sectanda. »

2. — Videri quidem hoc loco poterat operæ præmium fuisse, ut sapientissimus Magister nosler Christus discipulos suos excusaret, ac justificaret,

illorumque detractorum calumniosa ora obstrueret, dicendo, illos utpote mundos omnino et immaculatos, nulla prorsus lotionem opus habere, id tamen non fecit, quia perpetua veritas est, quod *cæli non sunt mundi in conspectu eius.* David homo erat secundum cor Dei justus et sanctus, et tamen ait, *Psal. xxv, 6 : Lavabo inter innocentes manus meas.* Apostolorum quoque pedes lavare voluit, tametsi paulo ante eis dixisset : *Jam vos mundi estis,* quia ut S. Leo advertebat : « Necessè est de humano pulvere, etiam religiosa corda sordescere. » Cælestis Sponsa, que animam præfigurabat, omnis prorsus macula expertem, in sacris Canticis, v, 3, lamentatur dicens : *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* sed quoniam timere poterat illos coinquinando periculum? nimirum Sponsæ videbatur, quod solum penetrantium suorum fores aperiendo, vel pedes suos in terram figendo, id est, ad res illas terrenas hoc ex necessitate sese divertendo, aliquem saltem vel minimum pulveris atomum, quo contaminaretur, adsciscere posset; ac proinde Venerab. Rupertus Abbas Tuitiensis, *lib. II in Cant.*, optime monet dicens : « Pedes lavet, id est, quotidiana et communia, sine quibus humana vita transigi non potest. » Jansenius vero quoad sensum litteralem dicit : « Non excusat suorum factum; nec adhuc dicit eos bene facere transgrediendo, quæ eos irritaret magis : Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. » Porro valde sapienter Christus ab omni discipulorum suorum excusatione abstinuit, hoc enim facere volens vel dicere debuisset, quod non se lavando bene fecissent, aut vero quod id non faciendo errassent. Asserendo primum, majorem in Pharisæorum pectoribus odii furorisque flammam excilasset, factique fuissent detractioem et maledicentia deterioris et acerbiores, si vero illos male fecisse asseruisset, superstillosos ipsorum approbasset observantias et traditiones et tanquam reos proprios suos condemnasse Apostolos. Chrysostomus aliam quamdam rationem, *Hom. LV in Matth.*, his verbis adducit : « Non restitit eis, » inquit, « neque causam discipulorum dixit, sed statim recriminatus est, ut audaciam eorum reprimere, atque ostenderet, non oportere illos, qui delinquant in maximis, pro parvis aliorum criminibus adeo moveri, ut exactiori eos trutinæ subjicere velint. Cum oportet, » inquit, « vos reprehendi, audetis etiam alios ipsi reprehendere. » Similem quoque considerationem in hæc verba S. Hieronymus habet, dum ait : « Falsam calumniam vera responsione confutata; cum vos propter traditionem hominum præcepta Dei negligatis, quare discipulos meos arguendos putatis, quod seniorum jussa parvi pendant, ut Dei scita custodiant? »

3. — Cajetanus notat Scribas hoc non ideo Christum convenisse, ut causam hujus transgressionis ab eo edicerent, sed solum id animo murmurandi fecisse : « Si interrogasset causam, responderet ad causam, sed ubi non querunt scire, quare, sed criminantur, sed involuntur in magistrum innocentem, respondet directe ad criminatorem. » Et quidem hic ipsorum error in eo præcipue sese prodidit, quod seniorum traditiones in ea haberent venerationem et reverentiam, cum tamen debitum Deo obedientiam, divinarumque præceptorum ejus observantiam nihil ducerent.

4. — Idem quoque eminentissimus Doctor in hac malignosorum Scribarum et Pharisæorum reprehensione notat, eandem non ex divini honoris zelo, sed a propria passione profectam fuisse, et ideo Dominus noster ad eum modum illis respondit : « Ac si aperte diceret : Non ex zelo justitiæ insurgitis ad arguendum, sed ex amore propriæ auctoritatis, cum mandata vestra præponatis mandatis Dei; » quodsi autem divini honoris zelo moveremini, primo utique satageretis Dei præcepta adimpleri, hominum vero traditiones postea : « Sed ubi excandescitis circa frivola humana, præhabentes divina mandata, apparet quod propriæ amor auctoritatis vos movet. »

5. — Dionysius Carthusianus hæc Christi responsum non ex impatientia, sed ex zelo profectam fuisse notat; siquidem innocentibus atrociter invidos et maledicos graviter, reprehendit : « Ad ostendendum quod indigni sunt alios de parvis vis accusare, qui magnis subjacent vitis. » Cui consonat quod Hugo Cardinalis scribit, dum ait : « Ad eos enim pertinet peccata arguere, qui nec æquali, nec inæquali, nec majori involuti sunt crimine. » Addeique verba illa Christi, que Scribis adulteram lapidare volentibus dixit, *Joh., viii, 7, nimirum : Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittet,* « lapidem objurgationis et reprehensionis. » Imo ut Jansenius optime observat, posito etiam quod Apostoli manus suas ante panis sumptionem non lavando peccassent, reprehendi quidem ab aliis potuissent, non tamen ab ipsis; et ideo Christus per suam responsum dicere voluit : « Non recte criminari ipsos, ut qui gravioris et minus tolerabilis transgressionis essent rei, idque in ea re, in qua culpabant discipulos; gravius enim peccabant servando seniorum traditiones, quam discipuli negligendo. »

6. — Albertus Magnus ipsos duarum transgressionum reos fuisse existimat : « Traditiones præter Dei mandata facitis, et quia contraria que cum Dei mandatis stare non possunt, facitis. » Etenim in libro Deuteronomii, iv, 2, hoc decretum Dei legitur : *Non addetis ad verbum quod loquor vobis; nec auferetis.* Denique in alio ejusdem libri textu, xii, 32, legitur : *Quod præcipio tibi hoc tantum facito Domino, nec addas quicquam, nec minuas.* Hoc autem decretum Dei hi maligni homines non adim-

plebant, imo additiones et appendices suas e cerebro confictas, quam divinæ legi debitam obedientiam pluris aestimabant, S. Thomas ait : « Addentes traditiones, contra legem faciebant; non quod non liceret consistere aliquid, sed quod ita præcipiebant observari, sicut legem Domini. » Denique S. Antonius de Padua optime notat, non omnes traditiones de facto repudiassent, sed quas faciebant legi divinæ contrarias. »

7. — Paulus de Palatio verba que Christus Pharisæis opposuit sigillatim, et adhibito sanctuarii pondere, magna cum emphasi hisce verbis trinitat : « Quare? dicite quare causa vos moveat ad leges? Dei violandas? num satisfacere carni vestre? num placere diabolo? num assequi miserum lucrum? suntne hæc dignæ rationes, ut Dei majestatem sacrilege conculcatis? »

8. — « Quare et vos? vos vermis, pulvis, cinis, » universa vanitas, fenum, umbra, mendax, terra, lutum : vos mea gratia Christiani, vestra professione divinæ legis cultores, vos fratres mei, filii mei, mea ascensione exaltati, vos dii, vos meo sanguine redempti, mea morte vivificati. »

9. — « Transgredimini? Angeli namque transgressi sunt, nunquam cœli; statuit enim hæc in æternum, præceptum eis posuit : et nunquam sunt transgressi. Aqua superbi fluctus terminos sibi præfixos non sunt transgressi; etiam infernus leges Dei non transgreditur, et quidem Deus leges, quas semel sancit, nunquam est transgressus, neque enim libertatem abstulit, nec pium præceptum mihi defraudavit. »

10. — « Mandata Dei tanto consilio librata, » tanta charitate promulgata, que si serves, æternitatem felicitatis, si violes, eternitatem supplicii « comparabis : que essent servanda, etiam si non essent pœnæ; nec præmia; judicia enim Domini recta, justificata in semetipsa, desiderabilia super aurum; at tu contemnis ut carbonem? »

11. — « Propter traditiones vestras. » O veram divinæ legis contumeliam! sed quid aliud ab homine expectes, quam divinis contemptis humana præferre? »

12. — Hæc autem in re, adimpletum est illud Sapientis, *Sap. xi, 17 : Ut scirent, per quæ peccant quis, per hæc et torquetur.* Etenim hi Scribæ discipulorum Christi bonæ famæ voluerunt detrachere, eosdem vel traditionum suarum transgressores accusando, cum ecce ipsi tanquam de divinarum præceptorum violationum reatu convincerentur, et confunduntur, quod longe gravius est, idque illis in discipulorum ejus, omniumque aliorum conspectu contigit.

13. — Enimvero sancti Apostoli veros se et dignos probarant esse discipulos scholæ Magistri illius, qui dixit : *Discite a me quia mitis sum;* neque enim ob hæc illis objectam calumniam fuere in-

dignati, neque se illis per sui excusationem aut justificationem opposuerunt; licet Christus ipsorum defensionem et patrocinium sibi protinus assumpserit, siquidem idipsum facturum Isaias, xi, 4, prædixit ac promissit, dicens: *Arguet in æquitate pro mansuetis terræ.* Ubi Chrysostomus, *Hom. lxxv in Gen.*, ait: « Quando injuria nobis fit; nosque mansueti et mites, ac tolerantiores fuerimus, majori largiorique auxilio divino fruimur. »

14. — Tyrannus historiam hanc ad practicam quandam reducit moralitatem, dum ait: « Simile fit hodie et in multis locis, in quibus sollicitudo habetur circa custodiam mandatorum hominum, quam circa custodiam divinorum præceptorum. » Certum namque est, quod non solum Principum leges et statuta occurrentia, verum etiam naturales inclinationes et geni longe accuratius observantur et adimplentur quam qualescumque leges et præcepta divina; imo Principum genio et inclinationi, per divinorum præceptorum transgressionem ut plurimum obedientia præstat. Sed quid de Principibus, de amico nostro, vel de homine aliquo; erga quem naturali propensionis pondere inclinamur quid, inquam, de his omnibus loquor? Divina præcepta propter illos negliguntur, non solum dum senes sunt, verum etiam dum adhuc juvenes existunt, « non propter traditiones seniorum, sed « juniorum. »

15. — Paulus de Palatio hoc loco specialem dæmonis fraudem et astutiam advertit, per quam spiritus ille nequam innumeras decipit, sibi que conciliat et subjicit animas, illas nimirum, que bonam se viam ingredi existimantes certa quædam peragunt spiritualis vite exercitia, in iisque plus nimum confisi divinorum præceptorum negligunt observantiam: « Sunt quamplurimi quibusdam re-
« gulis humanis addicti, quos si impleant, nihil
« sibi ad salutem deesse putant, » idque in illis præcipue exemplificat, qui exterioribus quibusdam devotiunculis plus nimum confidunt: « Credit ille,
« si quasdam orationes recitant, non se subito,
« neque sine penitentia moriturum; id vero est
« legibus humanis fidere. Credit alter, si omnibus
« diebus misse interfuerit, se non in infernum
« iturum. » Verumtamen quanto hi errore laborant, ex illis Christi verbis satis colligitur, quibus ipse protestatur, *Matth.*, vii, 21: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum celorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est.* At vero quoniam modo hæc voluntas adimpletur? In lege Domini voluntas ejus; si vis ad vitam ingredi, serva mandata.

VERSUS 4.

Nam Deus dicit: Honora patrem et matrem, et qui maledixerit patri vel matri, morte morietur.

1. — Porro in quo hæc reverentia et honor patri et matri exhibendus consistat, S. Thomas his verbis optime declarat: « Ille exhibet reverentiam, qui « que necessaria sunt, administrat. » Et Interlinearis ait: « *Honora*, dando necessaria. » Idem pariter de benedictione dicit, ad hæc sola verba non sufficere: « Sic in benedictione non solum « intelligitur, ut ore benedicas, sed etiam, quo « benedictionem impendas. »

2. — Glossa Interlinearis hæc verba: *Qui maledixerit*, ita exponit, ut sensus sit: « Qui debitis « obsequiis parentes indignos judicaverit. »

VERSUS 5.

Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri, munus quodcumque est ex me, tibi proderit.

1. — S. Hieronymus Deum filiis præcipisse dicit, ut propriis suis genitoribus in necessitatibus eorum, quantum in ipsis est, prospicerent, eosque neutiquam ope sua destituerent, e contra vero Scribas et Phariseos propriæ utilitatis promovende studio extimulatos suos docuisse dicit, ut id quod parentibus naturali jure donandum erat, Deo potius, divinoque cultui promovendo offerrent et erogarent, id namque Deo futurum esse longe gratius et acceptius quam si illa parentum necessitatibus sublevandis applicarent: « Atque ita fiebat, ut oblatio « liberorum sub occasione templi et Dei, in sacer-
« dotum lucra cederet. » Idem quoque sensus est S. Anselmi, dum ita scribit: « In quo præceptum « Domini traditione sua transgrediantur. Deus præ-
« ceperat in lege honorari patrem et matrem. « Pharisei vero avaritiæ servientes, ut homines
« offerrent munera in templo, quia in suos usus
« pervenirent; patrem honorandum, Deum esse
« muneribus venerandum interpretabantur et ita
« carnales patres sub nomine pietatis esse postpo-
« nendos dicebant. » Neque solum filii ut alimenta
« et quævis alia genitoribus debita, in sacras hæc
« elemosynas converterent, persuadebant, verum
« etiam ipsismet parentibus ut huic acquiescerent,
« sequi in casu quovis obvio fame necari sinerent.

2. — S. Paschasius verba hæc de iis votis, que Deo in præjudicium necessaria parentum sustentationis fiant, interpretatur, dicens: « Compelli
« filios, ut dicant parentibus suis, munus vel do-
« num, quodcumque ex me votis oblatum eram
« Domino, in tuos consumo usus, tibi que prodest
« pater, vel o mater, ut illi limentes accipere, quod
« Deo saltem voluntatis voto videbant mancipatum,

« ita ut inopem vellent magis vita ducere, quam
« comedere de consecratis. »

3. — Enimvero cur munera et oblationes ille impie fuerint et sacrilege, hujus S. Thomas, in *Matth.*, hæc rationem reddit: « Quia dona impio-
« rum non probat Altissimus. » Et *Prov.*, xxviii,
24: *Qui subtrahit aliquid a patre suo, vel a matre, et non dicit hoc esse peccatum, particeps homicidii est.*

4. — S. Paschasius dicit: « Quibus profecto
« verbis calide evacuabant honorem patris. » Et ratio est, quia ut S. Hieronymus attestatur: « Ho-
« nor in Scripturis non tantum in salutationibus,
« et officiis deferendis; quantum in elemosynis,
« ac munerum oblatione sentitur. » Etenim honor patri et matri delitus non tam in salutationibus et reverentiis exterius, quam in ferendis necessitati illorum subsidiis consistebat; hi autem in hisce enormiter deficiebant, quia que in elemosynas et parentum subsidia erogare debebant, templorum ornatum applicabant, ac proinde S. Paschasius superius dicta prosequitur, dicens: « Mandata Dei
« transgredi faciebant pro suis concupiscentiarum
« lucris, nolentes attendere, quod ait Dominus:
« *Misericordiam volo magis, quam sacrificium.* »

5. — Porro Scribæ et Pharisei patribus et matribus persuadere satagebant, ut elemosynas, que illorum subsidio et sublevamini servire poterant, ut in Dei servitium applicari paterentur, eo quod majorem inde essent percipituri utilitatem, quam si ipsorum fuissent subsidiis adhibita: « Tibi prode-
« rit, » inquit Lyranus, « magis, quam si expen-
« deres in necessitates tuas. » S. Thomas ait: « Dicebant his, qui habebant patres pauperes ut
« dicent eis: Pater, non displicet tibi, si non do-
« tibi necessaria, quia munus quod offero, proficit
« tibi spiritualiter, sed hoc non erat verum. » Dionysius Carthusianus dicit: « Tibi utilis erit,
« quam si illud tibi præstarem, quia proficiet ad
« spirituales salutem, que melior est quam cor-
« poralis nutritio. »

6. — Optime profecto quondam Poeta ille cecinit, qui ait: « Ausi sacra fames, quid non mortalia
« cogis pectora? » Quibus verbis avaritiæ non sine mysterio egregio illo epitheto honorat, quo eandem *sacrum* honestissimo scilicet nomine appellat, siquidem vitium istud Deo sacratas personas, et Ecclesiasticis ordinis homines plusquam omnes alios abominanda labe sua coinquinat et deturpat; unde merito David lamentans ait: *Incederunt igni sanctuarium tuum.* At vero dices fortassis, ubinam in sacra Scriptura ignis nispum sanctuarium corripuisse reperitur? « Igne cupi-
« ditatis, » inquit Hugo Cardinalis, « incenderunt
« Sacerdotes et Clericos Domino sanctificatos et
« dedicatos; in terra, id est, in abundantia terre-
« norum. » Dens ille, qui in schola sua nullam
« aliam virtutem tanta cum sollicitudine docebat, si-

cut mansuetudinis virtutem: *Discite a me quia mitis sum*, binis tamen vicibus tanto se iræ furore accensum exhibuit, ut flagello manus suas obarmans vendentes et ementes e templo protinus eiecerit, tametsi ea que emebantur et vendebantur, omnia ad divinum ejus cultum ordinata fuerint, idque ut Hugo de S. Victore ait: « Ne ministri altaris atten-
« dentes lucra, eorum corrumpere exemplo. » Deus ipse olim per Jeremiam, vi, 13, lamentatus fuit, dicens: *A minori usque ad majorem omnes avaritiæ student, et a Propheta usque ad Sacerdotem.* Et quidem valde notandum est, quod postquam Deus ibidem Sacerdotes tanquam avaros arguisset, confestim subjungat: *Cuncti faciunt dolum;* siquidem Ecclesiasticorum avaritia causa est universalis transgressionis in populo, utpote qui propter interesse suum clausis quasi oculis divine legis observantiam contumaciter despiciunt, quinimo ipsa quoque Sacramenta ausu sacrilego vendere non dubitant: *In quorum manibus iniquitates sunt,* et ratio est, quia *dextera eorum repleta est numeribus;* ubi Hugo Cardinalis ait: « Manus enim Sacerdotum modo inuncta sunt pice cupiditatis ad retinendum, que deberent esse inunctæ unctioe
« charitatis ad largiendum. »

VERSUS 6.

Et non honorificabit patrem suum, aut matrem suam, et irritum fecistis mandatum Dei, propter traditionem vestram.

Et non honorificabit patrem suum, aut matrem suam.

1. — Lucas Brugensis ait: « Non observabit
« mandatum Dei de honorandis patre et matre,
« quia sinet eos egestate consumi ac premi, non
« succurrens indigentia ipsorum. »

Et irritum fecistis mandatum Dei.

2. — Pietatis simulatione, » inquit Chrysostomus, *Hom. lxi in Matth.*, « despiciere parentes,
« fuerunt eruditii; quo pacto? Si quis parens a filio
« ovem flagitaret, aut vitulum, aut hujusmodi ali-
« quid, præmonitus a Scribis et Phariseis filius
« respondebat: Quod a me in utilitatem tuam pe-
« tis, dono jam Deo promissum est, ac ideo dare
« non possum. » Chrysostomus autem ulterius prosequitur dicendo, quod tales duplitem peccati rei erant: « Nam neque Deo offerebant; et parentes
« oblationis nomine defraudabant. »

3. — Jansenius ait: « Nullum Dei præceptum,
« nullum nostrum votum, nulla rei sanctificatio
« tollit necessarium naturæ vinculum, et ordi-
« nem; » quibus verbis declarat, quod in occur-
« rente casu necessitatis sive nostre, sive aliorum,
« etiam iis, que Deo per votum dedicata vel conse-
« crata fuerint, juste et inculpate uti possimus.

VERSUS 7.

Hypocrite, bene prophetavit de vobis Isaias dicens.

1. — Merito hi Pharisæi hypocrite appellati fuerunt, siquidem « exterius aliud præstendunt, quam « habeant interius, » ut inquit S. Thomas, nam Scribarum intentio erat lucra sua adaugere, quam tamen cupiditatem per divini cultus prætextum exterius artificiosa simulatione occultabant: « Interius intendebant lucra, exterius movebant homines ad offerendum Deo; » id hodie a multis quoque fieri videmus, qui devotiones certas animabus purgatorii proficinas studiose promonent, vel similia pietatis opera exercent, non quidem ut animabus illis suffragentur, aut Deo servitium aliquod præstent, sed propter lucrum elemosynarum, quas se ex talibus operibus consecuturos esse sperant.

2. — Lyranus Christum hisce verbis simulationem illorum delere voluisse existimat: « Redarguit de falsa sanctitatis simulatione, quia ad hoc « quod essent in reverentia populi, ostendebant « sanctitatem in verbis et in exteriori conversatione, cum tamen corrupti essent intentione. »

3. — Cajetanus ex hac reprehensione Scribas et Pharisæos non ex ignorantia, sed ex malitia errasse hisce verbis deducit: « Non ex ignorantia errabant, « sed sub specie religionis docebant, que in sacerdotum dotam redundabant utilitatem. » Enimvero quotiescumque de hoc hypocrisis vitio agitur, Salvator noster indignationem suam clare demonstrat; et licet alias tanta sit benignitas præditus, attamen quando illi cum hypocritis negotium intercedit, severissimi supplicii minas fulminare non omittit.

VERSUS 8.

Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.

1. — Extrinsecus quidem Judæorum populus præ cunctis aliis universæ terræ gentibus Deum vel maxime colere et honorare videbatur, quia solus ille inter omnes alios veri Dei cultum profitebatur: « Sed corde longe a Dei recessit, » inquit S. Remigius, *in cat. cit.*, « quia visis signis, atque « miraculis, nec divinitatem ejus cognoscere, nec « eum suscipere voluerunt. »

2. — Hanc quoque in ipsis linguam inter et cor discrepantiam S. Thomas observavit, *in Matth.*, quia exterius quidem se oblationes Deo et templo ejus factas promovere et cultus divini zelum se habere simulabant: « Cor autem eorum longe est, quia non tendebant ad honorem Dei, sed ad « cupiditatem; unde quanto cupiditas major, tanto « charitas minor. »

3. — Rabanus tempus exemplificat, quo id ipsum adimpletum fuit: « Labiis eum honorabant,

« quando dicebant: *Magister, scimus quia verax es;* « sed cor eorum longe ab eo fuit, quando miserunt « insidiatores, ut eum caperent in sermone. »

4. — Lucas Brugenis hæc duo simul esse et conjungi debere advertit: « Os prope et cor longe, « ad hypocrisim convincendam. Intelligenda est « igitur prior pars cum exclusione posterioris; non enim est Deo ingratus exterior laborum cultus, « nisi ab interiori cordis sejunctus sit, imo vero et « interiori cultum requirit, ut iam corpore colatur, quam animo. »

5. — Eodem quoque modo S. Anselmus de hoc populo scribit: « Commendando exteriorem munditiam illum honorabat, sed dum interiori, quæ « vera est, carebat, cor eorum longe erat et ille « talis honor inutilis est eis; unde sequitur: *sine « causa enim colant me.* »

6. — Porro timendum est valde, ne si populum Christianum cum gente Hebræorum illius temporis et moderni comparemus, illum præ hoc longe majori reatu obnoxium inventuri simus, id quod S. Ambrosius clare testatur, *Ser. xxviii in Ps. cxviii*, dum ait: « Judæus vel labiis, tu vero non labiis; si « illius qui vel labiis honorat, cor longe est a Deo, « quomodo potest cor tuum prope esse, qui etiam « labiis non honoras. »

7. — Lyranus ex hisce verbis moralitatem quamdam adversus eos deducit, qui bene docentes, pessime vivunt: « Hoc potest dici de Doctoribus et « prædicatoribus, qui docent bene et vivunt male. »

8. — Paulus de Palatio emphatice, quam ingens malum sit cor nostrum longe a Deo positum esse, considerat, dum ait: « O utinam non vobis hæc vox « conveniat! Longe sunt cæli a terra: si cor tuum « terrenum est et terrena amat. Deus vero habet « sedem in celo, certe longe est cor tuum a Deo, si « cor tuum est in peccato; longe a peccatoribus « salus. »

9. — Potest illidem hic Isaiæ textus de illis intelligi, qui solo vocis sono, sine illa attentione et applicatione interiori orant et psallunt. *Psal. xvi*, Psalmista nos ad Deum laudandum his verbis invitavit: *Psallite Deo nostro, psallite; psallite Regi nostro, psallite; quoniam Rex omnium terræ Deus*, sed protinus subjungit: *Psallite sapienter*, id est, ut ait Dionysius Carthusianus, « cum interiori mentis sapore, cor « dialique gustu verba psalmodiæ proferte. » B. Laurentius Justinianus nos quoque monet dicens: « Nec enim peccantis verba intendit Deus, sed « orantis cor aspicit. Quod oratio prodest strepitu « laborum, ubi est cor mutum? sicut enim vox « sine modulatione auribus hominum onerosa existit, sic oratio absque devotione auribus Dei inexasibilis est. » Valde considerabilia sunt illa Tertulliani verba: « Sonos vocis subjectos esse oportet, quibus verbis utique innuere intendit, vocis, ut a Deo exaudiatur, intimam a corde dependentiam

necessariam esse, quia « Deus non vocis, sed cordis « audior est, sicut et inspector. » Tritum namque est illud commune proverbium: « Si cor non orat, « in vanum lingua laborat. »

VERSUS 9.

Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum.

1. — S. Thomas, *in Matth.*, hoc loco tale format dubium, qua nimirum ratione propositio isthæc possit sustineri, siquidem certum quod etiam jejuna tantum sint præcepti Ecclesiastici, similiter canones, quid sunt aliud quam traditiones humane: « Numquid hi hæc docent sine causa colunt Deum? « Intelligendum est in præjudicium mandatorum « Dei. » Unde Angelicus hic Doctor, tanquam verus Theologiæ Princeps hæc maximi momenti maximam definit dicens: « Ex hoc habemus, quod « homo magis debeat sibi conscientiam facere de « transgressione mandati Dei quam de transgressione Ecclesiasticæ constitutionis. »

2. — Lucas Brugenis alios libros hoc modo legere dicit: *doctrinas, mandata hominum*, hoc sensu: « Doctrinas quæ sunt mandata hominum. « Sensus igitur est: cultu quo me prosequuntur, « est mandatum ab hominibus datum; colunt me « observatione mandatorum ab hominibus traditorum; porro quod mandata hominum sunt non quævis ab hominibus perfecta mandata, sed quæ « ita sunt hominum, ut non sint Dei; quæ homines « sine spiritu Dei, suapte ingenio pravo et corrupto « effingunt; » sunt enim nonnullæ observantiae, quæ non a personis legitimam auctoritatem habentibus emanarunt et hæc præceptis opponuntur, vel saltem ad illorum adimpletionem et ad internum Dei cultum nihil conferunt. Dionysius Carthusianus dicit: « Mandata hominum humano spiritu, non « Spiritu Sancto, loquentium. »

3. — « Inaniter colunt me exteriori solum obsequio, » inquit Dionysius Carthusianus, « quia « non est meritorium opus hujusmodi, nec perducit « ad ultimum finem, qui est vita æterna. »

4. — Theophylactus de illis ita scribit: « Cum « mali essent per mala opera, longe fiebant a Deo « et divinum sermonem solo ore loquebantur, frustra enim colunt et putant se colere Deum, qui « per opera illum dehonorat. »

5. — Lyranus medicinam similitudinem adducit et dicit, quod sicut medicina « datur sine causa, « quæ non confert sanitatem, sic cultus divinus, « qui non ducit ad veram felicitatem. » Interlinearis hæc Glossam addit: « Non habituri mercedem cum veris cultoribus. » Albertus Magnus cultum illorum iniquum et falsum appellat: « Iste « cultus iniquus, falsus et malus, et mandatis Dei

« contrarius, sine causa est, quia remunerationem « non meretur. »

VERSUS 10.

Et convocatis ad se turbis dixit eis: Audite, et intelligite.

Et convocatis ad se turbis dixit eis.

1. — Albertus Magnus circa hæc verba observat, Salmeron hic exequi voluisse, quod docuerat: « *Quod in aure auditis, prædicite super tecta;* quasi « diceret: Pharisæi mihi susurrant ad aurem, quia « qui male agit, odi lucem. *Joan.*, iii, 20. Ego « autem omnibus manifeste dico, quod enim omnes « tangit, omnibus proponendum est. »

2. — Lucas Brugenis dicit, Christum discipulos suos ab objectis eisdem a Pharisæis culmiis expurgare et innocentes ostendere voluisse, scilicet, quod sine culpa panem manducaturi manus non lavarent, simulque veritates quasdam, in quibus etiam ipsimet Scribæ errabant, in medium adducere decrevisse, ideoque turbas ad se convocasse: « Ne frustra proferat, si soli eam audiant Scribæ « et Pharisæi, qui præ invidia et fastu invidiosos, « nihil nisi deteriores reddendi erant; docilis enim « erat turba, aut certe aliqui. » Glossa Interlinearis hæc paraphrasi addit: « Turbis, que in Dei « mandatis sitiebant. » Janseus dicit: « Convocantem servans ordinem, » quod enim calumniam in accusatores retorsit, id fecit, « seorsim et « non audiente omni turba; » at vero quando discipulos excusando et purgando veritatem proposuit, omnes presentes esse voluit, ut Pharisæis exinde nihil proficientibus, alii saltem ex doctrina sua utilitatem aliquam et profectum caperent.

Audite, et intelligite.

3. — Circa hæc verba varias invenio sacrorum Interpretum expositiones. S. Paschasius dicit: « Aures utriusque hominis requirit, quia nec recte « audit intus, qui contemnit quæ Dei sunt, audire « foris; nec foris, ut dignum est, audita, qui intus « non intelligit quia audit foris. »

4. — Dionysius Carthusianus Christum omnes ad se attente audiendum invitasse dicit, quasi diceret: « Diligenter advertite, que dico. » Lyranus ait: « Audite aures cordis, intelligite aures « mentis. » Albertus Magnus de obedientia verbis auleatatis præbenda explicat: « Audite obediendo « et intelligite veritatem discernendo. *Eccli.*, iii, « 31: *Auris bona cum omni concupiscentia audit « sapientiam.* »

5. — Hugo Cardinalis plane diversimode ab aliis illa exponit, dicit enim: « Audite mandata Dei, non « traditiones hominum. »

6. — Paulus de Palatio dicit, Christum increpantem et incarnatam Dei Sapientiam non fuisse conten-

tum, quod ab auditoribus presentibus auscultaretur, ideoque totum ad se populum convocasse, neque hoc ei sufficere, ideoque magna et specialissima cum sollicitudine postulasse ab omnibus audientiam : « *Audite*, nec eo contentus addit, « *intelligite*, expendite apud vos, quam sint recta » quae dicimus. Intelligite igitur Dominum sedisse « in excelso throno, ut finem imponeret legi veteri, « ut doceret qua ratione coli vellet, quae etiam sint, « quae coram Deo hominem coinquinant. » Sciendum igitur est quod S. Marcus, vii, 14, Salvatorem dixisse scribat : *Audite me omnes, et intelligite*; ubi Jansenius ait : « Emphasi non caret, quod dicit *me*, « et *omnes*, ut est apud Marcum; per *me* enim » significat se potius quam Phariseos audiendam; « per *omnes* significat se de re attentione digna et « omnibus utili loquentur. »

VERSUS 11.

Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.

1. — Salvator noster operæ pretium esse duxit declarare quantum sint illæ sordes et maculae quae inficiunt animas, easque contaminant, scilicet, id non fieri per observantias et per ritus exteriores, sed per deordinationem interiorem. Unde Lucas Brugenensis dicit : « Ego autem dico vobis, nihil « eorum, quae de foris ingrediuntur in hominem, « quibuscumque sordibus obnoxium sit, polluere « hominem, aut reddere Deo minus gratum; sed si « vultis scire, quae vere hominem contaminent, « non sint ea quae ingrediuntur, sed contra, quae « egrediuntur ex homine; » id quod paulo post melius declarat, dum ait : *De corde exeunt cogitationes multae, etc.*

2. — Etenim fieri nequit, ut aliquid eorum, quae manducantur, conscientiam nostram commaculare possit. « Nec etiam idololatriam, in quantum est « Dei creatura, » ut ait S. Anselmus, « sed potius « illud coinquinat, quod procedit de ore, id est, « verbum exprimens immunditiam et nequitiam « suae pravae mentis. » Jansenius distinguit et dicit, Christum non asserere quod aliquis manducando maculari non possit : « Cum variis modis contingat « edentem coinquinari, nempe quia gulose edit, « vel quia contra legem, vel quia cum scandalo « aliorum, sed dicit cibum ipsum non coinquinare, « quod pro omni tempore verum est de omni « cibo. » Ratio autem, quam affert, hæc est, quia cibus in lege veteri prohibitus et qui in lege nova contra constitutiones et leges Ecclesiae manducatur solum propter inobedientiam nos maculat et culpabiles efficit : « Ipsa inobedientia hominis et « inordinata ejus concupiscentia hominem con- « taminat, » quamvis ipsum in cibo et potu prævaricatio contingere possit per intemperantiam.

Interlinearis sententiam quamdam adducit S. Augustini dicentis : « Non timeo immunditiam obso- « ni, sed cupiditatis. » Lyrannus cibum nos spiri- « tualiter immundos efflicere posse existimat, simulque quoniam id modo fieri possit, his verbis declarat : « Cibus corporalis coinquinat hominem spirituali- « ter, scilicet nonnisi in quantum per delectatio- « nem male afficitur ad cibum. » Porro immundo- « rum animalium caro Hebræos quidem transgressio- « nis reos effliciebat, id tamen solum fiebat ratione prohibitionis quae, ut Lyrannus observat, mystica erat, qui proinde auctoritatem quamdam adducit ex S. Augustino contra Faustum, qui ait : « Quia « per animalia immunda secundum legem signan- « tur quaedam vitia, quae sunt vitanda, et ideo « quia lex Evangelica, quae spiritualis est, inchoata « erat per Christum, ideo et illa observatio figuralis « ciborum non erat amplius observanda. »

3. — Notandum est autem, bina vice oris mentionem in hisce verbis fieri, sed in diverso sensu; ubi enim primo os exprimitur, ibi os corporis intelligitur, dum vero secunda vice os nominatur, oris nomine mens accipitur. Unde Albertus Magnus ait : « Est autem os exterius, quod loquitur ea, quae in « spiritu vocis formata sunt, spiritus autem ille « corporeus formam, quae est intentio verbi, accipit « a spiritu incorporeo, qui est in corde, et ille est « primum os determinans omnia cogitanda, et « loquenda, et agenda, et de hoc ore intelligitur, « quod dicitur, et illius organum est os exterius. »

4. — Paulus de Palatio hoc loco non inopportune quaerit cur Christus non aequè dixerit, quod quicquid ab oculis, manibus et pedibus egreditur, hominem commaculet, sicut dixerat de ore? num forte id ideo fecit, ut innueret, quod nullum sit corporis, aut naturæ hominis instrumentum, per quod homo magis distinguatur a brutis, quam per linguam, ut proinde S. Jacobus dixerit eum vere perfectum, qui linguam suam refranare novit. Salmeron ait : « Cor stulti in ore ejus et os sapientis « in corde ipsius, est enim varium responsum inter « verba oris et mentis, quod enim mens cogitat, « vult, cupit, naturali consequentia fit stultum ver- « bum in ore, ideo cor et os unum censentur, est « enim canalus apertus ex corde ad os; neque fere « aliud est, in quo cor apertius cognoscas quam in « ore. »

5. — Solent etiam haeretici eodem hoc textu Evangelico abuti, dum illum modo suo interpretantur, ut se a jejunio eximant, non intelligentes, quod transgressio, quae ipsos reos constituit, non in qualitate aut in quantitate cibi quem comedunt, consistat, sed in inobedientia, qua prohibitionem et legem ecclesiasticam, qua talis abstinencia in his vel illis circumstantiis præcipitur, contemnant. Anno savientis in alma urbe Romana contagi, per Quadagesimam tribus septimanae diebus, carnium

usque, cum reservatione in aliis diebus jejunandi, permixtus fuit, ut constat.

6. — Porro Christus Dominus, ut S. Thomas bene observat, in hisce verbis ea duntaxat peccata tetigisse videtur, quae a lingua procedere noscuntur; dicit enim : *Sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* Adhibet tandem idem sanctus Doctor distinctionem quamdam valde considerabilem, dum ait : « Proprium officium oris est dicere; « est autem duplex dicere : exterius ore corporali « et interius ore mentis, de quo, *Psal. xiii, 1 : Dixit « insipiens in corde suo, non est Deus*; sic ergo per « os potest intelligi os cordis, scilicet mens homi- « nis, et sic omne peccatum est ex ore, quia nun- « quam est peccatum, nisi ex proposito mentis. » Interlinearis tamen ita exponit : « Verba malitiam « cordis exprimentia. »

7. — Advertendum est autem, quod Christus priusquam diceret : *Non quod intrat per os, coinquinat hominem, etc.*, præmisit verba illa : *Audite et intelligite*; sed quo mysterio id ipsum fecisse existimatis? inquit idem Angelicus Doctor, nimirum : « Prout altissimam doctrinam, quae est per- « fectio moralis vitae; » vult enim ut intelligamus, quod mundities, quam ipse in animabus desiderat et præterdit, non consistat in exteriori illa manuum lotione, vel in aliis observantiis legalibus, sed in sola puritate conscientiae. Et ideo Hugo Cardinalis ait : « Aperte hic habetur, quod Dominus omnes legales « observantias eliminat. » Beda quoque dicit : « Salvator omnia munda esse ostendit, quia cum « munda percipiuntur conscientia. »

8. — Chrysostomus observationem quamdam circa hæc verba adducit, quae in summam nos confusionem merito redigere debet; dicit enim : « Videmus multos, ut intrant ad Ecclesiam, lavan- « tes manus et os, qualiter autem mundam Deo « præsentent animam nullam curam facientes. « Sordes manuum sunt, rapina, homicidium; sor- « des oris, maledictio, blasphemia, contumelia; « stercus in manibus tenens nunquam auderes « orare, et nimirum hoc nulla jaectura est, quid « inaniter irrigas linguam perniciosam, circumfe- « rens stercus? Si quis stercore manus implens « tuos teneret pedes supplicans, non solum non « audires, sed pedibus conculcasses; qualiter igitur « audes ad Dominum accedere et tu? manus est in « lingua orantium, et per eam detinemus genua « Dei? *Isaiae, i, 15 : Cum multiplicaveritis orationes « vestras, non exaudiam, manus enim vestrae sicut « quinae plene sunt. »*

VERSUS 12.

Tunc accedentes discipuli ejus dixerunt ei : Si quis quod Pharisei audito verbo hoc scandalizati sunt.

1. — Ex textu S. Marci, vii, 17, eandem hanc

historiam referentis clare satis deducitur, quod priusquam discipuli Christi verbis hisce eum alloquerentur, jam ante turbæ a Christo dimisso fuerint, Salvator autem cum discipulis domum quamdam fuerit ingressus : *Et cum introisset domum a turba, interrogabant eum discipuli ejus.* Et S. Matthæus ait : *Tunc accedentes, quasi Apostoli hoc facto docere nos voluissent quod, dum alicui bonum ob finem salutaria volumus monita suggerere, id non in publico, sed in privato et secreto faciendum sit.* Præterea, inquit Paulus de Palatio : « Admonemur non esse « indignum, majores a minoribus admoneri, ut hoc « loco Christus ab Apostolis, et Petrus a Paulo, *ad « Galat., ii, 11.* Sicut nec est indecorum majores res « suas cum inferioribus tractare; » sic enim quando Christus tot millia hominum paulo ante quinque panibus et duobus piscibus satiare voluit, tametsi Evangelista dicat, *quod sciebat quid esset facturus*, attamen prius discipulos suos in consilium adhibere voluit.

2. — Enimvero quodnam illud scandalum fuerit, quo Pharisei offensi fuerunt, S. Paschasius his verbis optime declarat : « Eo quod solveret legem « Moysis; nam ex hoc uno sermone, omnis super- « stitio Judaicarum observationum fuerat elisa, quo- « niam omnem religionem suam in cibis sumendis « abominandisque arbitrabantur esse positam. » Lucas Brugenensis ad hoc se reflectit, quod Apostoli Phariseos scandalizatos fuisse dicant, tametsi etiam Scribæ presentes adfuerint : « Nam quanquam « Scribæ profiterentur rerum hujusmodi disputatio- « nem et scientiam exactam, tamen eorum obser- « vationem profitebantur Pharisei. »

3. — Exinde perspicue videtur, quam verum sit, quod *omne quod recipitur, ad modum recipientis recipitur*; siquidem Pharisei isti stomachum suum invidia, odio et malitia contra Christum refertum habentes, tantum abest, quod veritati a Salvatore clare plane satis traditæ acquiescerent, ut scandali potius exinde supermerit occasionem; proprietates nimirum solis est ea illuminare, in quibus congruam deprehendit dispositionem, lutum vero e contra indurare, et obfuscare, idque non tam suo quam illius defectu.

VERSUS 13.

At ille respondens ait : Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus caelestis, eradicabitur.

1. — S. Thomas per has plantationes a Patre caelesti minime plantatas, traditiones divinæ legi oppositas intelligi posse censet : « Potest ista plan- « tatio intelligi, de traditione hominum, quae est « eradicanda si sit contra Deum, sed traditio, quae « est a Deo, nunquam est eradicanda. » In cujus probationem, textum illum Actuum Apostolicorum adducit, in quo Gamaliel ait : *Si fuerit hoc a Deo,*

non poterit contradicere; et quidem hoc idem, inquit sanctus Doctor, in quavis alia re communiter videmus: « Videbis aliquem, qui bona opera facit « fundata in charitate, Eph., iii, 17: In charitate « radicati et fundati, et hæc non possunt eradicari; « sed alia quæ non habent bonum fundamentum, « ut dare elemosynam propter vanitatem, eradi- « cantur; sic intelligendum est Sapientie, iv, 3: « Spuria vitamina non dabant radices suas. » S. Paschasius quoque de traditionibus, de quibus paulo antea facta fuerat mentio, hanc textum ita exponit: « Omnis illa traditio Judæorum non a Deo Patre « erat, sed superstitio hominum, pro cuius favore « etiam præcepta legis transgrediuntur. » Lyranus verba illa: Omnis plantatio, etc., ita exponit: « Id « est, doctrina ab homine inventa, quæ non est legi « ipsius Dei consona. » Theophylactus ait: « Lex « plantatio est Dei, non illa eradicata est. » Traditiones vero a senioribus inventæ, non vero a Deo præceptæ erant: « Non plantavit Pater meus intus « in radices veritatis et pietatis, » inquit Albertus Magnus.

2. — Venerabilis Beda, in *Math.*, objectioni cuidam respondet; quæ circa illa Apostoli, *I Cor.*, iii, 6, verba: Ego plantavi, Apollo rigavit, opponi poterat; nimirum, quod si ita est, quod Apostolus manu sua et industria propria plantationes illas cultivavit, et tamen hæc coelesti illi agricola, de quo Christus dixit: Pater meus agricola est, adeo gratæ fuerunt et acceptæ, quæ ratione Christus dicere potuit: Omnis plantatio, quam non plantavit, etc., eradicabitur?

3. — Respondet Beda: « Solvitur questio in eo, « quod dicitur: Deus autem incrementum dedit. » In quam observationem pariter Albertus Magnus consentit, dum ait: « Plantat aliquando per se, ali- « quando per ministrum, vera in credendis, pia in « faciendis. *Isa.*, lx, 12. *Germen plantationis meæ, « opus manus meæ ad glorificandum. »*

4. — In S. Joanne, xxvii, 30, scribitur: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum solum verum, et quem misisti Jesum Christum; super quæ verba S. Cyrillus Alexandrinus ita scribit: « Fides et vera « pietas vitæ æternæ radix est et origo. » Mirum igitur esse non debet, quod traditiones illorum, si- cut et ipsi nullas egerint radices, et consequenter extirpatæ fuerint, in quibus per obstinationem, et voluntatem propriam fides hæc et vera pietas desi- derabatur, siquidem omnis illorum devotio fictio quædam et hypocrisis fuit.

5. — Lucas Brugensis ait: « Plantati proprie a « Deo Patre dicuntur, qui gratuita ejus adoptione « in arborem vitæ Christum, absque quo non est « salus, insiti sunt. » In hoc sensu Deus Pater, *Isa.*, lx, 12, de populo Ecclesie sue in nova lege gratiæ loquens, illum appellat *Germen plantationis meæ.*

6. — Porro quænam hæc plantationes sint, quæ a Patre coelesti minime plantatæ fuere, Origenes no-

his hisce verbis in sensu morali optime declarat, dum ait: « Sunt quædam intrinsicè in animabus « vestris insita, quæ non plantavit coelestis Pater; « omnes quippe cogitationes pessimæ, homicidia, « adulteria, fornicationes, furta, blasphemia, plan- « tationes sunt, quas non plantavit Pater coelestis, « sed inimicus homo supereminavit. » De homine justo David, *Psal.*, i, 3, scribit: *Lignum, quod plan- « tatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum « dabit in tempore suo, et folium ejus non defluet, et « omnia quæcumque faciet prosperabuntur. Non sic « impii, non sic. S. Judas Apostolus, Epis.*, v, 41, de eisdem loquens, eas vocat: *Arbores autumnales, his « mortuus, eradicatas. Sapientia, iv, 3: Spuria vitamina non dabant radices; vel ut alia quædam littera habet: Adulterinæ plantationes. Deuteron., xxix, 18: Ne forte sit inter eos radix germinans fel et amaritudinem; alii legunt: Toxicum. Chaldaeus: Ne sit inter eos cogitatus peccata et superbum.*

VERSUS 14.

Sinite illos, cæci sunt, et duces cæcorum; cæcus autem, si cæco ducatur præstet, ambo in foveam cadunt.

1. — S. Hieronymus monitum illud adducit Apostoli, ad *Tit.*, iii, 10, dicentis: *Hæreticum hominem post unam et alteram correctionem devota, sciens quod perversus sit hujusmodi et a senectute damnatus; et hoc sensu, dicit idem sanctus Doctor, Chris- « tus nobis præcipit, ut a perversorum Doctorum consorcio nos studiose sequestremus: « Sciens eos « difficile ad veritatem posse trahi, et cæcos esse, « et cæcum populum in errorem trahere. »*

2. — Cajetanus ait: « Non sit vobis curæ scan- « dulum illorum: quod ipsi acceperunt, non ego « dedi. » Unde scandalum illud nomen accepit, quod scandalum Pharisæicum appellatur, quando nimirum aliquis absque data occasione et sine justo et rationabili motivo scandalizatur. Et S. Gregorius, *Hom. vii in Ezech.*, dicit: « Si de veritate scanda- « lum sumitur, utilis permittitur nasci scandalum, « quam quod veritas relinquatur. »

3. — Lucas Brugensis ait: « Ne laboretis, aut « solliciti sitis de illorum offensione et in doctrinam « meam impactione, de quorum eradicatione per- « petuo exitio constare vobis debet. Non judicavit « opere pretium, ut placandis illis intendere, aut « clarius interpretaretur doctrinam contumaciter « rejectis. »

4. — Paulus de Palatio in hisce verbis considerat synagogæ infelicitatem, utpote quam Christus se deseruisse his verbis clare satis significavit: « O « verbum durissimum sinite eos, relinquamus eos; « terra enim sæpe super se venientem hibens im- « brem et non producens fructum relinquatur; hæc « derelictionem significat verbum illud: *Eecce relin-*

« quetur vobis domus vestra deserta. Licet Deus nun- « quam auferat ab homine auxilia et favores, qui- « bus, si conetur, anima surgere possit, auferat « tamen illos, quibus facile surgeret; væ igitur cum « dicit Christus discipulis suis: Sinite, et relin- « quite; et vult exire ab eis, exultibus enim bonis « de medio malorum, remanent mali; sicut Sodo- « mite, exente ab eis sancto Loth, subito perie- « runt; sicut cæcibus ab Ægypto Judæis, statim « perit. »

Cæci sunt et duces cæcorum.

5. — « Id est, carentes vero intellectu legis, » inquit Lyranus, « et duces cæcorum, quia alios exca- « cant suo errore et ducunt eos ad præcipitium. » Interlinearis ait: « Quia non solum sibi non prospici- « unt, sed etiam alios in præcipitium trahunt. » Dionysius Carthusianus per hoc lumen, cuius defectu excecati fuerunt, veram sapientiam intelligit: « Id « est, lumine vere sapientiæ et recte intelligentiæ « Scripturarum privati. »

6. — Cajetanus de his Scribis et Pharisæis obser- vat, quod: « Præerat aliis exemplo fidei, doctrinæ « vitæ; juxta illud: *Nunquid aliquis ex Principibus « credit illi? et rursus: Nunquid vere cognoverunt « Principes nostri, quod hic est Christus? Et prople- « rea appellantur duces cæcorum; vero enim fue- « runt duces cæcorum populorum, qui in Judaica « permanserunt invidia; inde et secutum est quod « videmus, ambo in foveam cecidisse et præsentis « servitutis, et æternæ damnationis. »*

7. — S. Gregorius ait: « Superbi Pharisæi ab « ipsa Veritate cæci nominantur, quæ discipulis ait: « Cæci sunt et duces cæcorum. » Quibus in verbis advertendum est, cuiam rei hæc cæcitas tan- quam cause ascribat ut vel ideo vitium carnis maxime detestemur: « Quæ utique cæcitas specia- « liter libidinosus adscribitur, quia nulla sunt vitia, « quæ spissiores tenebras menti ingerant, quam « libido. *Ose.*, iv, 11: *Fornicatio, et vinum, et ebrie- « tas auferunt cor. »*

8. — Et his verbis quoque colligitur, quod Principes sive in paradisi, sive in inferni post hæc vitam abeant, magnum semper post se comi- tatum habeant, siquidem innumeri homines per bonum, vel malum ipsorum exemplum vel salvan- tur, vel damnantur; quod idem de Superioribus quoque dici potest; nec non et de illis, qui non tam per auctoritatem quam ob doctrinam et sapientiam omnibus aliis supereminet, aliosque erudiunt.

Si cæcus cæco ducatur præstet; ambo in foveam cadunt.

9. — Dionysius Carthusianus ait: « Prælati « seu Doctor non illuminatus a Spiritu Sancto, si « cæco gregi, vel subdito ignoranti ducatum præ- « stet, inducendo eum ad ambulandum per vias

« rectas, seu ad sequendum opera et judicia sua, « ambo in foveam cadunt, id est, in vitia præci- « tantur et tandem in locum gehennæ labuntur; « hinc *Jerem.*, x, 21: *Quia stulte egerunt pastores, « ideo omnis grex eorum dissipatus est; »* adducitque in ejus confirmationem quædam S. Gregorii sententiam dicentis: « Cum pastor per abrupta gradi- « tur, necesse est ut grex in præcipitium feratur. »

VERSUS 15.

Respondens autem Petrus dixit ei: Edisserere nobis parabolam istam.

1. — Salvator noster parabolis frequenter uti solitus erat: « Et ideo, » inquit S. Remigius, « Petrus cum audisset: *Quod intrat in os non « coinquinat hominem,* putavit parabolice eum fuisse « locutum. » Albertus Magnus ait: « Delentis car- « nali intellectu legis putabat Christum parabolice « loqui, qui doctrinas de cibis revocavit ad novæ « gratiæ veritatem. »

2. — Theophylactus hanc interrogationem arti- ficiose propositam fuisse sustinet: « Petrus quia « sciebat legem prohibere promiscue esum omnium « et timebat dicere Jesu: Ex his quæ dixisti, offen- « dimur, apparent enim legi adversa esse, simulat « ignorantiam et interrogat. »

3. — Porro « Petrus præ quovis alio se vere Christi sapientiæ addicere cupidum fuisse mon- strat, quia, *Mal.*, ii, 7: *Labia Sacerdotis custodiunt sapientiam, et legem requirunt ex ore ejus. Ecol.*, i, 22: *Beatus vir, qui in sapientia morabitur. Imo tanquam Christi in terris Vicarius, præ quovis alio profundius a Christo erudiri debebat.*

VERSUS 16.

At ille dixit: Adhuc et vos sine intellectu estis?

1. — « Id est, » ut Albertus Magnus exponit, « post tot audita, visa et exposita, quibus datum « est nosse mysterium regni Dei. »

2. — Paulus de Palatio hanc reprehensionem Prælati Ecclesiasticis attribuit: « Gravis, » inquit, « reprehensio; cum enim Episcopus sit aliorum dux « et lux, si et ipse sine luce sit, omni reprehensione « dignus est, neque enim alicui minus, quam Epi- « scopo, ignorantia convenit. »

3. — Lucas Brugensis Christum Salvatorem nostrum sapientis nos docuisse notat, qua in re mun- ditates illa consisteret, quam in fidelibus et sequaci- bus suis requirebat: « De his rebus non semel, « neque breviter disseruerat, neque obscuris ver- « bis, ut ex *cap.* vi et vii, hujus Evangelii intelli- « gitur, idcirco increpat tarditatem discipulorum, cui « tamen non desinit Doctorem se prestare, » ipso- rumque incapacitati et ruditati magna cum beni-

gnitate descendit, prouti ex verbis sequentibus clare liquet.

VERSUS 17.

Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum emittitur.

1. — Theophylactus verba illa hunc in modum exponit: « Dicitur igitur: Non intelligitis quod omnes intelligunt et sciunt? cibi enim non manent intus, sed infra exeunt per alvum et nullum hominem in anima coinquinant, non enim manent intus, cogitationes autem intrinsecus nascuntur et manent illic, et egredientes, hoc est, in opus procedentes, inquinant hominem. » Nihil etenim animam maculare potest, nisi tangat illam, « cibus autem non contingit animam, » ergo. Ita S. Thomas.

VERSUS 18.

Quae autem procedunt de ore, de corde exeunt, et ea coinquinant hominem.

1. — « Id est, ab intellectu et voluntate causatur, » inquit Dionysius Carthusianus; « quia ut ait Plato, ad hoc datus est nobis sermo, ut mutae voluntatis fiant iudicia. » S. Bernardinus porro pro nostra instructione observat, quod « inter omnia illa, quae a corde exeunt et de ore procedunt, hominem, imo totum mundum inquinant, sunt excreandae detractiones. »

2. — Porro per hasce sordes, haec coinquinant hominem, non materiales et corporales, sed spirituales intelliguntur, unde Dionysius Carthusianus ait: « Coinquinant inferendo maculam culpae. »

3. — Cajetanus dicit: « Declarat, quo sensu dixerit: Quod procedit de ore, scilicet pro quanto procedit a corde, hoc est, a voluntate. »

VERSUS 19.

De corde enim exeunt cogitationes male, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiae.

1. — S. Hieronymus ex hac propositione illam deducit consequentiam: « Ergo anima principaliter non secundum Platonem in cerebro, sed juxta Christum in corde est. » Unde S. Doctor pergit ostendere, qualiter magnopere reprehensibiles sint illi, qui demonem esse dicunt, qui nobis malas cogitationes et desideria imprimat: « Arguendi ex hac sententia sunt, qui cogitationes a diabolo immitti putant et non ex propria nasci voluntate; « diabolus, adiutor et incensor malorum cogitationum potest esse, auctor esse non potest. Sin autem semper in insidiis positus levem cogitationum suarum sentitiam suis fomibus inflammavit, non debemus opinari eum cordis quoque occulta rimari, sed ex corporis habitu et gestibus

« aestimare, quid versemus intrinsecus, verbi gratia « si pulchram mulierem nos viderit crebro inspicere, intelligit cor amoris jaeulo vulneratum. »

2. — S. Antonius de Padua cor hujus nostri corporis primum mobile primumque vite principium esse considerat: « Sicut enim cor est vite corporalis principium, sic et vite moralis, » adducit quamdam S. Augustini sententiam in libro de libero arbitrio attestantis: « Quod nihil habet rationem peccati, nisi quantum a corde et voluntate egreditur. »

3. — Sicut ex equo Trojano multi egressi sunt milites, qui civitatem illam in extremum redegere exterminium, atque in eos, qui dictam fabricaverant machinam, inhumanam exercere barbariem; ita quoque e corde nostro, seu ab amore et voluntate nostra tot derivantur affectiones pravae et appetitus inordinati, qui mortem animae spirituales et aeternam adseiscunt. Unde Chrysologus in sermone quodam, quem super Evangelium praesens conscripsit, ita ait: « Novus est hic ordo bellandi, de homine contra hominem gentes exeunt bellaturae. »

4. — Paulus de Palatio magnam quamdam inter Mosaicam et Evangelicam legem notat differentiam, dum ait: « Nota primo loco ponit cogitationes, licet Moyses in fine dealogii earum meminisset, « cuius ratio est, quia vita christiana maxime interioribus intenta est, contra Mosaicam exterioribus. »

5. — Facile igitur hinc discere possumus, quanti intersit monitum illud Sapientis, *Prov.*, *iv*, 23, attendere, dicentis: *Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit.*

VERSUS 20.

Haec sunt quae coinquinant hominem, non lotis autem manibus manducare, non coinquinant homines.

1. — Paulus de Palatio maculae peccati turpitudinem ponderat, dum ait: « Contra infinitam majestatem ab infinita vanitate, id est, homine pro cedit, infinitum bonum auferit, Deum nobis prosequum, amicum, sponsum, fratrem et patrem exasperat, ut hostis sit noster et vindex. Si peccet ne trare vis, quanta sit haec macula, hinc intelliges, quia solo Christi sanguine, et non hircorum aut laurorum, purgari potest. » Haec macula pulcherrimum coelestis paradisi Angelum in horrendum mutavit titonem inferni.

2. — Optimum igitur et saluberrimum est illud Chrysostomi documentum, *Hom. LII in Matth.*, dicentis: « Discamus, obsecro, quoniam ea sint, quibus tarpiter homines foderunt: discamus, oro, et fugiamus; » ubi ulterius abusum jam paulo ante mentionatum, exponere pergit, quo in Eccle-

sia quoad corpus, mundi comparere satsumus, interioriorem animae puritatem parum admodum curantes. S. Augustinus ab Alberto Magno hoc loco citatus dicit: « Nimis appetitus munditiae corporalis sordes inducit mentis, et ablutio corporis nihil penitus conducit ad munditiam mentis. » Unde *Jerem.*, *ii*, 22: *Si laveris te nitro, et multiplicaveris tibi herbam Borith, lana maculata est cor me, dicit Dominus.* » Deformis macula, quae anima humana unquam contaminata fuit, censenda

est iniqua illa condemnatio, qua Agnus ille immaculatus in medio duorum latronum patibulo adjuceus fuit suspendendus, et tamen Pilatus sententiam illam pronuntiaturus, manus suas prius abluere voluit, simul protestando, *Matth.*, *xxvii*, 34, dicens: *Innocens ego sum a sanguine justorum hujus. Vae vobis, qui mundatis quod deforis est calicis, inquit alibi in Matthaeo, xxxiii*, 35, Christus de hypocritis illis, qui perfectionem et sanctitatem suam in frequentioribus ablationibus reponendam esse censuerunt.

FERIA QUINTA POST TERTIAM DOMINICAM QUADRAGESIMAE

EVANGELIUM LUCAE, CAP. IV, VERS. 38

38. Surgens Jesus de synagoga, introivit in domum Simonis; socrus autem Simonis tenebatur magnis febris, et rogaverunt illum pro ea.

39. Et stans super illam imperavit febrim, et dimisit illam; et continuo surgens ministrabat illis.

40. Cum autem sol occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum; et ille singulis manus imponens curabat eos.

41. Exhibant autem daemonia a multis clamantia, quia tu es Filius Dei, et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.

42. Facta autem die egressus ibat in desertum locum, et turbae requirebant eum, et venerunt usque ad ipsum, et detinebant illum ne discederet ab eis.

43. Quibus ille ait: Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideò missus sum.

44. Et erat praedicans in synagogis Galilaeae.

VERSUS 38.

Surgens Jesus de synagoga, introivit in domum Simonis; socrus autem Simonis tenebatur magnis febris, et rogaverunt illum pro ea.

Surgens Jesus de synagoga.

1. — Salvator noster in synagoga paulo ante daemoneum quemdam miraculose liberaverat, ac probe, ut Jansenius notat: « Protinus dicitur cum suis Christus egressus a synagoga; hic enim fuit mos Domini, ut fere semper cum miraculo aliquo inclaruisset, turbis sese subduceret, contentus nimirum benefecisse, nec gloriae humanae cupidus, docens nos, ut bene mereri potius quam laudem venari studeamus. »

2. — Albertus Magnus ad mysterium recurrit, dicens: « Ecce synagoga, in qua praedicaverat, derelictio. *Jerem.*, *xii*, 7: *Reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam.* »

Introivit in domum Simonis.

3. — Dubitari hoc loco potest, quomodo domus illa domus Petri esse potuerit, cum ipsum in Beth-

saida natum fuisse constet, praeterquam quod ipse in Evangelio omnia deseruisse dicitur, *Matth.*, *xix*, 27: *Ecce nos reliquimus omnia; quomodo igitur Evangelista domum hanc domum et habitacionem ipsius fuisse dicit? Salmeron in primis Bethsaidam Capharnaum vicinam fuisse respondet; adhuc dicit, domum illam ad Petrum spectasse, quia ad conjugem ipsius pertinebat. « Domus uxoris Petri vocatur ejus domus. » Lucas Brugensis dicit: « Domum socrus Petri, idcirco Petri dictam, quod quoties Capharnaum veniret, ibi hospitare. » tur. » Salmeron dicit: « In domum suam, id est, quae jam fuerat ejus, » quam posteaquam se Christi disciplinae subiecit, totaliter dimisit.*

4. — Enimvero dubium quidem non est, quia in opulenta illa civitate plures fuerint habitaciones longe capaciores et nobiliores illa, in qua Filius Dei hospitio excipii potuisset, ipse tamen praeter ceteris Apostolos suos honorare voluit. Unde S. Thomas, in *cap. viii Matth.*, ait: « Honorem intulit discipulis suis, quia noluit ire ad domum Centurionis, ivit tamen ad domum pauperis piscatoris. » Unde *Psal.* *cxxyvii*, 17, dicitur: *Nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est princeps*